



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi  
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

**Eyschen, Georg von**

**Coloniae, 1655**

§. 83. At illi tenentes Iesum duxerunt eum ad Caipham principem  
Sacerdotum ubi seniores convenerant. v. 57.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45515**

§. 83. At illi tenentes Iesum duxerunt eum ad Caiphā principem Sacerdotum  
ubi seniores convenerant. v. 57.

Hic Evangelista narrare incipit postquam Apostoli fugerunt quidnam fecerunt cum Christo Iudæi, nempe tenentes primo Iesum captivum, vincum catenis & funibus fortiter allicitum, ut lupi rapaces circumdantes agnum duxerunt ad Aulam Caiphæ. & quis iste Caiphæ? Anni illius scilicet magni, salutaris à seculis desiderati, æternum memorandi princeps & Pontifex Iudæorum, sub quo immolandum erat agnus occisus ab origine mundi, agnus Dei &c. & hic Caiphæ uti Iosephus dicit, emerat pecuniis pontificatum, contra mandatum Moyſis, qui iubente Deo præceperat, ut pontifices patribus succederent & generationis in sacerdotibus series texeretur, non ergo mirum si iniquus Iudex iniquum iudicium fingit de Christo, quem voluit tradi sibi, inimicis suis, Iudæis & Phariseis, quorum scribæ literati & seniores non veritatis studio, sed malitia, eodem se conferebant ut veritatis & disciplinæ Doctorem Iesum Christum iudicarent, & eum falso condemnarent scilicet, quia contrarius erat operibus ipsorum (Sap. 2.) gravis enim erat illis ad videndum. ideo non parcebant diei festo, ideo & priusquam adduceretur iam convenerant. ex quo colligi potest eos prius decrevisse in eum mortis supplicium quam viderant vel audierant defensionis suæ rationes.

**A**t tende hic, ô anima mea, quam miserabiliter Dominus & Creator tuus ab impiis illis & lascivis scurtis circumvallatur & ducatur, haud secus quam latro quispiam & morti obnoxius, aut homo sceleratus. Et tamen in omni hac persecutione, erga homines patiens, erga patrem gratissimus perseveravit. Cogita quæso, qualis hæc ei, quamque molesta nox fuerit. O Iesu rex gloriæ, qui totum mundum verbo regis, & cuius nemo potest resistere potentia, quam humilis, quam parvus, quam infirmus, quam despectus propter me fieri voluisti! ubi iam sunt illa millia millium procidentia coram te in facies suas, teque adorantium, benedictantium, laudantium & sine intermissione dicentium: *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, nimirum, ô Amabilis Iesu, hora hæc est hora tenebrarum, tempus mœroris & nox amaritudinis. Et hanc quidem tam horribilem & tristem noctem propter me sponte elegisti, ut illius tristi imagine monstrares mihi peccatorum & malitiæ gravitatem & ingenium eius magis explicares. Per hanc igitur tristem noctem, & horrorem in quo ductus fuisti ad Principes, scribas & seniores populi iniustos, ut te ex invidia, prætextu vindictæ, iudicarent, da gratiam Christe Iesu, ut nunquam vel consilio vel quavis auctoritate velim proximo

mo malum ex eo, quod mihi videatur esse contrarius: sed ut eum potius iu-  
vem, potius defendam pro iustitia, eius causam, absque rancore, odio vel  
invidia velim tractare.

§. 84. *Petrus autem sequebatur eum à longe. v. 58.*

Primo ob promissionem suam, cuius memor turpe existimabat, non se-  
qui dominum suum: docens nos bona proposita & fidem datam servare,  
quod utinam semper constanter faciamus. Secundo sequebatur Magistrum  
ob amorem, quem erga ipsum gerebat, maximum. à longè verò ob timorem  
quo iam occupatus fuerat. pugnabant enim in corde Petri amor Christi &  
timor mortis. ille attrahebat, hic tetrahebat: sed hæc erat permissio divina  
Deo sic sinente fieri, quo scripturæ implerentur quibus prænuntiabatur,  
quod Christus Dominus noster torcular passionis solus esset calca-  
turus.

**O** Amantissime Iesu quor ego proposita bona feci? sed cum Petro pau-  
latim me elongavi à te, ita ut plane perdiderim te, & in baptismo fidem  
datam oblitus ierim post Deos alienos, passiones meas, frigidus in amore  
sancto tuo, calens cupiditate sæculari, & quo magis me elongavi eo frigidus  
semper factus in fide spe & charitate tua. Respice ergo & me cum Petro o-  
culis misericordiæ tuæ ut resumam animum redeam, ad te, servem propo-  
sita bona, desineam & lugeam peccata mea, & negligentias meas, ut gratiam  
recuperem æternam.

§. 85. *V/que in atrium principis Sacerdotum. v. 58.*

Dum saltem timide Petrus sequitur Magistrum id est à longè, & per-  
venit usque in atrium principis sacerdotum, in quo milites, qui Christum  
ceperant captivum, & Caiphæ tradiderant, hærebant expectantes Domi-  
norum suorum nutum, quibus se immiscet plenus anxietate Petrus, quid  
factum! cum perverfis habitando non evasit innoxius qui si mansisset soli-  
tarius aut cum bonis, bonus utique in eorum societate mansisset. nec co-  
actus fuisset ab ancilla vili. etiam cum iuramento Deum & Dominum suum  
negare. In perverfis aulis hand dubiè, non nisi iniquitas & dólus discitur &  
docetur, & de eiusmodi aulis vere dicitur, exeat aula qui cupit esse pius, nam  
in eiusmodi iniqua aula nempe in curia Herodis Magi stellam perdunt,  
Ioanni caput abscinditur, Christus illuditur &c. in curia Caiphæ Petrus fi-  
dem, saltem foris, negat & robur animi perdit, imò peierare discit qui cum  
discipulis manens Christum præ omnibus audentissime confitebatur. pro-  
quantum malum causat mala societas!

Videbo